UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Commvnionis Tum pro Sacerdotibus, tum pro omnibus fidelibus communicaturis

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

De actuali Devotione in sumente sacram Eucharistiam, §. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41783

Visual Library

da eſt, cum ejuſmodi maculis, quamvis levibus, quaſi cum veſte nuptiali aliquantulum ſordida, tanto convivio intereſſe.

11 Verum enim verò cum certum ſit fideles nequaquam obligari ad omnem excogitabilem reverentiam, ut dictum eſt; deberet probare De Lugo ad hanc ſpecialem reverentiam nullas veniales maculas habendi, obligari fideles: quod Vaſquez, ſpectata hominum fragilitate, venialiumque peccatorum tenuitate, negabit. Utraque igitur ſententia probabilitate non caret: quare complectere tutò, quam mavis.

§. 5.

De Actuali devotione in ſumente Sacram Euchariſtiam.

12 Quamvis per actualem devotionem aptiùs anima diſponatur, adeoque majorem

jorem gratiam, uberioremque participet, illaque ſemper ſit optanda, & pro virili parte procuranda; tamen, ſine actuali devotione, dummodò ſit quis in ſtatu gratiæ, ejuſdem augmento ex opere operato non fruſtrabitur: *a* unde ſequitur minimè peccare, ne venialiter quidem, eum, qui illa actuali devotione carens, ritè communicat.

13 Non quod concedamus de induſtria diſtractum ad profana negotia communicantem immunem fieri à peccato veniali: ſiquidem ab eo illum liberare non poſſumus, idque ob defectum reverentiæ debitæ: Chriſtum enim Dominum hoſpitem recipi ab anima omnia alia de induſtria, præter ipſum, vel ad ipſum ſpectantia, cogitante, irreverentia eſt. Sed dicimus actuali illa devotione, ſaltem involuntariè carentem, non fruſtrari augmento gratiæ ex vi Sacramenti,

a *S. Th. 3. p. q 79. art 8. in corpore & ad primũ, quem ſequitur Suarez, Vaſ. alii. V. Hurt. de Euch. d. 8. diff. 3.*

ti, nec ex hoc capite, venialiter delinquere.

14 Dices paulo antè; tanquam probabile, conceſsimus; non eſſe peccatum veniale accedere ad Euchariſtiam cum actuali peccato veniali comitanter: ergo multo magis erit probabile, non eſſe veniale, accedere cum voluntaria diſtractione, quæ frequentiſsimè de materia ſolet eſſe indifferenti. Reſpondeo ſupra diximus non eſſe veniale cum affectu ad veniale communicare, ad quem affectum non eſt neceſſe, ut actu quis, dum communicat, ad objectum illius peccati venialis cogitationem defigat, ut per ſe patet. Inſuper ibi diximus, quòd communicaturus, non neceſſariò, ſub pœna venialis, veniale excludere obligatur: quia veniale non opponitur gratiæ: & quia, ſtante humana fragilitate, non probatur ab adverſariis hanc pe-

culiarem reverentiam excludendi affectum ad venialia, omninò requiri à communicaturo: at nunc docemus omnem diſtractionem voluntariam eſſe ſub pœna venialis excludendam: & inde id probamus, quia irreverentiam clare olet, recipi Chriſtum Dominum, tamquam hoſpitem, ab anima voluntariè alia tractante: quare hæc diſtractio voluntaria videtur immediatè attingere Chriſti perſonam, ut ad te venientem: ille autem affectus ad veniale non item.

§. 6.

De Confeſſione præmittenda Communioni.

15 Sive ſit præceptum humanum Eccleſiaſticum, ut tenet Io Medina, *a* & Navarrus, *b* ſive divinum, ut alii *c* communiter meritò tenent; certum eſt ex Tridentino, *d* debere, ſub

mortali

a *Jo. Medina Codice de conf. q. 17.*
b *Navar. in initiū de pœnit. diſt. 5. in 3. p. Gloſſ. n. 31. & 32.*
c *Suarez, Vaſq. aliique apud De Lugo diſp. de Euch. 14. ſec. 4. n. 69.*
d *Trid. ſeſſ. 13. cap. 17. & can. 11.*